



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 214. An Matutinum orari debeat ante celebrationem Missæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Horas unius diei, etiam sufficit hic, *Gob.* Non posse autem per unam talem recitationem satisfieri obligationi pro hac & sequente die, certum est, quia *Alex. VII.* damnavit hanc 35. prop., *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsentate & crastino.*

§. V. In Quadragesima possunt Vesperæ sine ullo peccato privatim dici post prandium, quia rubrica illa solum chorum obligat, *Sanch. Gavant. Gob. n. 688. Burgh. cent. 3. cas. 83. Stoꝝ n. 412. Lohn. p. 4. §. 10. n. 4.* Imò congruentius est nunc ita fieri: aliud erat primitus, quando vesperæ prius cœnabatur, tum enim recitabantur ante cœnam, ne nimis diu differrentur, uti ex *Bellarmin.* notat *Tamb.* in Decal. l. 4. c. 5. §. 4. n. 4. 1316

Q. 214. An Matutinum orari debeat ante celebrationem Missæ. R. De hoc dicetur l. 6. quando de Sacrificio. 1317

Q. 215. Quid addendum sit circa tempus, quo definit obligatio orandi pro una die. R. Seqq. 1318

§. I. Obligatio orandi pro una die definit horâ 12. noctis, hinc quod antè non orasti, poteris omittere: consequenter audiri non debet *Leander*, dicens satisfieri præcepto horarum, si quis paulò ante mediam noctem incipiat Matutinum, & sine intermissione recitando finiat horâ primâ, hanc enim sententiam latè confutant *Carden.* in 1. crisi d. 35. à n. 21. & *Gob.* in Exp. T. 5. à n. 684., est enim contra communem sensum & usum, nam pari jure possem die Jovis ante 12. noctis incipere comedere carnes, continuando cœnam usque ad 1. diei Veneris, quod nemo dicet: imò sequeretur per unicam illam recitationem satisfieri posse obligationi duorum dierum, quod tamen damnatum est, secundùm dicta n. 1315.